

1788
EXAMEN VARIARUM LECTIONUM,
QUAS AD TEXTUM JESAIÆ HEBRÆUM
ALEXANDRINA VERSIO EXHIBET,

Cujus

PARTEM QUARTAM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

Modeste sistunt

JACOBUS BONSORFF,

S. S. Theol. Docens nec non Aman. Bibl.

Et

JOHANNES HENRICUS NORRING,

Wiburgensis, nec non Stipend. Reg.

In AUDIT. MINORI die X. Decemb. MDCCLXXXVIII.

h. a. m. s.

ABOË,

Typis, FRENCKELLIANIS.

EXAMEN VASTARUM RECTORUM
QUAS AD TEXTUM FERIAE HERITUM
ALEXANDRINA VASTA EXHIBUIT

Quae

PARTEM QUARTAM

CONS. AMER. FACULT. THEOL. ABBATIS

M. J. J. J.

JACOBUS BONDORFF

S. S. Theol. Doct. nec non Amer. Biol.

Et

JOHANNES HENRICUS MORRING

Wid. Theol. nec non Amer. Biol.

In Audit. Minori die X. Decembris, MDCCXXXVII

h. a. m. a.

ADAM


Typis FRENCHMANN

Præclarissime Dom: Mag: Theol: Respons nec non Amanuensis Dicit: Martini
Sauter et amico honoratissimo.

Munus mihi hac occasione demandatum est, cui rite administran-
do non haud parvum esse satis sperare intelligo; et esse tanta
omnino ornatus esse debuisse, sed modestia, ut, ~~quod~~ quod ferre
proorsus recusat, onus humeris meis imponere non sine
veneri; humanitatis tamen tuae, favoris atque amicitiae, quae
me hac usque amplecti consueveris, recordatione erectus
non plane repugnare potuerim. Ignoscas itaq; mihi ve-
lim, quod ea spectationi tuae satisfacere nequeo, illiusq;
res proferre momenti, quibus, nisi bene, nec tamen
proorsus male de te mereri possem, quod occasione veni-
bi darent optatissimam disputationis huius elegantissi-
mae loca, quae videntur vel obscura vel ambigua ulterius
adhuc declarandi. Quae vero in medium profero, melio-
rum inter veteres in partem, rogo atq; etiam rogo, quod
dederis specimen, meq; tibi quam maxime obstrinacris.

Præstant: atq; reverentis Dom: Respondens, Amice Opt:

Esse multos haberes optiones ad hocce munus rite performen-
dum, placuit tamen tibi illud in primis mihi hac oca-
sione injungere. Quae in re amicitiam tuam erga me
nosco agnosco, eam omnino ipsam, quam iam ludos Gymnas-
ticos celebrantes, atq; in illis, quae tibi docentur tractan-
turg artibus nosmet exercebant, nos invicem coluimus
Qua itaq; fretus in arenam tecum defendere audeo,
si vero rite, ~~et~~ tam fortiter ac vires tuae patirentur
certare nequeo, id vitio mihi non vertas, talem es-
nim habes adversarium, qualem bene cognovisti,
ipseq; tibi eligisti. Felat, quae in te immittis, vano qui-
dem ictu cadere et spero, et procerto habeo, habili-
tas enim tua illa, majari quoq; vi jactata, repellendi
satis mihi est cognita. Ut tamen tibi anxia prodes-
beat huius publice alterius edendi documen-
ta levis simis te lacessam.



§. XIV.

Capitulum IV. v. 1. Vulgaris admodum & in Hebraismo
 Bibliæ hæpius obvia est formula כיום היום, qua sive
 definite sive infinite utuntur Sacri Scriptores, inprimis
 cum vaticinia post aliquod temporis implenda spatium,
 proferant. Variè vero pro substrata materie hæc phrasis
 reddi potest ac debet, vel, *eodem tempore, tunc, tum, vel,*
aliquando, olim, post illa tempora, qui quidem posterior
 usus, huic loco proprius videtur eandemque secum fert
 significandi vim, quam locutio alia: כחזרית היום Cap. II.
 2. Quod vero Antiquus Græcus Int. allata vocabula ex-
 cluserit, neminem offendat. Quamquam enim abesse
 possint salva orationis serie, ad textum tamen eadem
 pertinere, docentibus ceteris omnibus Ant. Interpretibus,
 satis manifestum esse putamus.

Vers. 2. Aliquanto vero difficilior est explicatio lo-
 cutionum כיום היום & כיום היום in hoc vers. occur-
 rentium, quæ quamquam haud aliter ab Alex. Int. lectæ
 fuerint, huic tamen examini nostro subjiciendæ erunt,
 eo maxime consilio ut textus hebr. primævus confirme-
 tur. Habet vero Græcus: *επιλαμψει (aut λαμψει) ο θεος*
εν βελη μετα δοξης επι της γης, e quibus verbis optime pa-
 tet, quam misere semet hic Int. in textu alias facillimo
 torserit, verba scilicet longe dissimillima confundens. Et
 enim pro כיום cogitabat forte vocabulum βελη, pro
 היום particulam εν vel ב, atque sic, ut potuit, non ut sen-
 sus ipsius prophetæ postulavit, integrum transtulit hemi-
 stichium. Qua in discrepantia non facile fas erit, nomi-
 natum Interpretem nimis reprehendere, quasi aut minus
 sincere aut præcipitanter semet in transferendo gesserit;
 potius autem æquiori eum perstringere censura nos de-
 cet, quum probe meminerimus, eum obscuriori hebræo

græca scriptione fuisse prædicitum. Fuerunt tamen multi iusto severiores in Alexandrinum Interpretem inveciti iudices, quorum Coccejus, Calovius, Vitranga & ipse Hieronimus nominentur oportet; quum e contrario alii nimis liberales in laudando eodem fuerint, parumque attendentes ad ipsam scribendi rationem, quam satis antiquam fuisse, & Talmudicorum scriptorum testimonia (citante Tychsenio) & Origenis labor evincunt. Quæ si rite sese habeant, haud invideant nec ægre ferant, quod omnem cautelam in Critico hoc negotio nos adhibeamus. — Vocem מִצְיָא ex Arab. potius Dialecto explicuit Alex. Interpres, quam ex Hebræa, ubi constanter de germinibus efflorescentibus proprie usurpatur, & metaphoricè tam ad quamlibet nascendi sortem, quam speciatim & κατ' ἐξοχὴν ad Messiaæ ortum refertur, ut hoc in loco. Quem quidem de Messia vocabuli usum constantissimum esse, dubitare nos non sinit, sive analogia scripturæ sive Judæorum ipsorum his saltim in rebus fida & verissima interpretatio. Messianum enim ævum, quod Hebræi vates omnes toties in carminibus suis ingenti sub imaginum apparatu celebrant, quoque hoc in loco apparet depictum. Examinemus nempe ipsa prædicata quæ ad personæ hujus magnitudinem declarandam a Propheta adferuntur, utpotè: *esse in gloria, Decore, majestate*; Consideremus, quam solennia & magnifica Dei beneficia Judaicæ genti circa idem hoc aureum ævum olim contingere dicantur v. 3. 4 sq; Conferatur vero inprimis hoc Jesaianum carmen, cum Zach. VI. 12. ubi nomen ipsum מִצְיָא expresse assignatur Sacerdoti illi magno, qui olim sacra Judaica restauraret & - - מִצְיָאוֹ sub quo *omnia progerminabunt*, quique Templum & thronum ubi insidebit ipse, edificaturus esset; Cogitetur quis sit ille צִמְחָא & יְהוּהַ עֵבֶר Zach. III. 8. celebratus; quis צִמְחָא a Da-

- x Semach, hoc in loco crystallat. Brach. D. tuler ad ortum Mesopis ulucentam
 esse. Cherisima vero hinc voco ut Cherisima, vel: fani simpliciter ad Mesiam
 designandum. Potius utem hinc illa indigitat ut Cherisima Cherisima, ut hinc
 in loco, nempe Judaei in captivitate Babylonica elapsi, et speciatim
sancti, qui antichristo causa cum Deo conjuncti sunt. Sed potius
Salvator designatur per vinum et vitem, ut ea: gratia in sequenti
 capite. Tab. XI. germen vero et palmites huic viti in serbo desig-
nant Dei cultores. Et verba sequentia in Tharax, gruitas se subter-
ra non posunt ad propheta referri, sed potius ad captivitate Baby-
lonica elapsos. Emittet illa, quae huic germini ad serbandum
nunt. novimus enim Arabias Judaeos nunquam non anti-
chritem Babyloniam ad Babiloniam de lapsos uisse, sed fructu
vero Dei cultus ad parisse. Et hoc ita respectu posunt vocari
germen nobile et gloriosum, terraq filus caimius et decorus.
 x Hinc verum etiam Seleb. Rom. Cassellia, Babylonia regia inducens
sic intelligatur: Se tempore Tri Jovis germen nobile et
gloriosum, terraq filus caimius et decorus, videlicet elapsi
Pracilita. ut fig. Et qui in Sion et Hierosolymis reliqui
supervixerint, qui sancti dicerentur esse.

a Davide oriundus Jer. XXXIII. 5. nisi ipse Messias; Animadvertetur tandem, quam ideam ipsi Judæi, non quidem Allegorizantes illi, sed saniores quilibet sibi formarint sub hac imagine germinis e gremio Judaicæ telluris quondam orituri; Annon ex his omnibus rite pensatis rebus, clare admodum patebit, *germen Jehovah* h. l. de nemine alio posse explicari quam de venturo summo Dei ministro, cui omnem spem suam omnesque oculos tam diu fixerant sinceriores Antiqui ævi homines. In propatulo saltem erit, non posse sub formulis *germen Jehovah & terræ fructus* sive ipsam tellurem Judaicam cogitari, quemadmodum nonnulli & quoad partem Cel. Koppe, ex synonymo vocabulo פרי הארץ seducti, existimant, sive populum Judaicum ex captivitate Babyl. residuum subintelligi. Quæ enim loca ab Ill. Michalis & Koppe pro posteriori hac munienda opinione allegantur, Jes. V. 7. LXI. 3. Pl. LXXX. 9—12, ejus sunt indolis, ut sub plane diversis metaphoris, vitis scil. & terebinthi, gentem adumbrant Judaicam, ad hunc autem locum nihil probent. Messiam vero quoque Chaldaus Paraphrastes h. l. intelligendum esse docet, fatente id Abarbanele. Habet vero ille: יהו משיחא דדי להרוה. Quocirca mirum non nemini videbitur, perperam ea a Christianis intelligi, quæ tamen a Judæis agnoscuntur. Neque vulgari huic explicationi obstant synonyma voc. פרי הארץ *fructus terræ*; commode enim innuere possunt nasciturum Messiam, prouti quoque Cel. Doederlein in vers. sua, sine tropo transtulit: *viro hæc patria nato tanquam eximio decore gloriabuntur superstites Israëlita.* Totum vero verum

H 2

ficus

(a) Non multum quidem, a nobis abluunt Hieronymus & Grotius qui germen Jehovah exponunt de Christiana Ecclesia. Sed obstat usus lingvæ & series verborum,

אברהם אברהם אברהם אברהם

ficulum nos hunc in modum transferendum esse putamus: *olim vero erit (exoriatur) germen Jehovæ pulcrum & Insigne, & furculus e tellure eximius elegansque inter reduces Israelitas.* Apparebit quoque hinc, quam concinne & pro more prophetarum apte hæc pericopa cohæreat cum tota oratione a Cap. II:do ad IV:ti finem semet extendente (b). Etenim nihil solennius, frequentius nihil apud Prophetas sublimi spiritu elatos reperitur, quam præsentia & futura promiscue adumbrare tempora, atque velut in duplici scena versari. Jam enim e longinquo spem arrigentes, felicia denuntiant fata futura, jam præsentissimum suum describentes ævum, minantur, increpant, hortantur; jam rursus quasi redeunt ad futuri temporis scenam, oculosque omnes in unum Sospiratorem magnum, Messiam intendunt, a quo olim regnatura, sancta quævis prædibunt statuta, sacra manebunt ac inconcussa humanitatis jura, omniaque præbebuntur felicitatis instrumenta. Hunc esse totius carminis conspectum, attentus quisque perspiciet lector; nec alio jure habraeos vates frui animadvertet, quam nostrates in Poëmatibus pangendis, quippe quibus solenne est, futuri ævi immortalia fata intexere præsentibus rebus quas celebrant sive lætioribus sive tristioribus.

Verf. 5. Ut elegantissima metaphora se distingvit hic versiculus, ita quoque facilem hæbet interpretationem, quam Græcus tamen nimis quantum a littera aberrans non assecutus est; quippe habet $\alpha\mu\iota\ \eta\ \epsilon\lambda\epsilon\iota\ \alpha\mu\iota\ \epsilon\sigma\alpha\iota\ \pi\alpha\varsigma\ \tau\omicron\pi\omicron\varsigma\ \tau\omicron\varsigma\ \sigma\iota\omega\gamma$, unde liquet eum pro ברא cogitasse בא & pro יהרה verbalem formam יהרה , quæ nullum sensum

(b) Nec est quod cum Cel. Koppe, fragmentum longioris ejusdam carminis tantum superesse in vers. 3, ad fin. cap. conjiciamus, omni defuiti iusta causa critica,

X. Describens claudat consilium et rationem Hebraeorum, in carminibus
suis pangendis in ipsam propositam et nulla modo convenientem de illis ferre
videtur sententiam, quoniam illos cum Poëticis valde comparat, et
haud alio jure et loci in Cœnatiis pangendis, quam Poëticis, qui tunc
etiam facultatem futuri aevi immortalis statim præsidi offerunt,
Noveritque nominat. Maxima vero differentia inter has inter se pu-
taverim. Vates enim Fudæorū inspiratione peculiari sua instructi
de rebus potuerunt canere futuris, et olim evenitura prædicere, Poë-
tici vero hanc facultatem non esse concessam quis facile sciat,
et experientia locutur demonstrat. Si enim Poëta nostri aevi
~~aliquid~~ præ sagire et divinare, ore imaginationis exultans ad adiuti-
vum, omnes sana mente præditi illos deficiunt neque profertur
vi existimant, et nunquam, quæ candere vident, evenitura aspicere
dant.

de amice vinea canentis

X Acad. Rom. Auctor carmen Iesaja vocat fabulam, quod tamen
minime ipsi rei convenit. Fabula enim est fictio quaedam,
cui nihil veri in natura respondit, et quae res finguntur,
quae nunquam acciderint, nec legibus ^{et rationibus} naturae ac-
cidere possunt, et ita, etiam si sint incredulae, tales, e.g. sunt
fabulae Thoedri, in quibus bruta animalia e. e. insunt loquen-
tia; quae fictio est ^{vera} falsa, nec ea natura sancta, nunquam enim
bruta animalia loquuntur. Nam ita ^{quae} dicitur convenit
fabulis uti: cuius praeceptum officium est imitari naturam,
nam similitudines ea natura desumere, eo potius
quanto certius est, similitudines atq. parabolas quam
imaginem adficere sensus hominum. Hanc regulam quae
hoc an loco a Iesaja observatam esse putarent. Similitudo
enim e vinea desumpta accommodatissima est ipsi rei.
Quomodo enim melius potuerit describere Deus Iesaja
amorem suam, et beneficia illa, quibus Deus Iudaeos di-
noscit. Terra eorum utiq. obtulit vineam ad similitudinem
ut pote fructuosissimam iam ab Abrahamo et posteris
ejus promissa, et Fructus terrae Iudaeos hoc ulant illo, quod
in vinea sua, eredit. Similitudo ista est elegantissima
qua utitur Propheta, non vero fabula.

sum fundere possunt. Propterea quoque missum eum fecerunt Critici, nisi quod in sequ. hemist. vocabulum כּ, quod Græco voc. παντα responderet, desiderari in textu & in hunc e græco introducendum esse pronunciavit Rev. Lowth. Sed cum satis turbidus sit h. l. fons Alex. versionis, nequicquam inde hauriri poterit limpidi, ad hebræum melius figendum textum, præsertim cum & Syr. & Chal. Vulg. cet. hoc non præferant additamentum, nec nisi unicum adsit, a Kennicotto observatum MSC. Oxon. in quo כּ bis legitur, sed sine dubio refictum esse ex Alex. versione, videtur. Alia adhuc varietas est in poster. hoc hemist; nam pro מקראיה *loca convocationis, concilia* perperam LXX habent τα περικυκλω αυτης, quasi מצריו *loca que sunt circa urbem*, ut observat Capellus. Quid vero intendat sublimis sententia Poëtæ: *Deus creabit nubem & fumum, qui supra Sionem sacrosque ejus confessus ascendet*; in aprico cuique est; Divina scilicet protectio & beneficiorum collatio in Jud. gentem innuitur.

§. XV.

Cap. V. v. 1. Novum heic incipit carmen, idemque elegantissimum, in quo, fabula sistitur satis clara, & poeticæ arti conveniens, vulgo autem in multiplicem sensum detorta. Non nostrum est, omnia in medium proferre diversa interpretamenta, eaque multa perabsurda; (cfr Cocceji & Vitringæ Com.) Criticorum tantum præcipua examinemus studia. Ill. Michaëlis (in Or. & Ex. Bibl. P. XIV.), & Grotius, conjicit legendum esse in poster. membro יורה pro יורה, quia sic LXX. Symmach. Syr. Chald. cet. legerunt. Sed vero nulla opus est emendatione,

tione, quonodoquidem דורר idem sit ac דורר. Sic omnino Dathæ & cæteri, quamquam hi diversa sub synonymis his vocabulis cogitent subjecta. Difficultatem omnem tollere sibi videbatur Rev. Lowth, nova quadam conjectura statuens, דורר legendum esse instar Adjectivi ad שירת, carmenque sic amatorium esse; quod tamen vix defendi poterit; nec, si amabile et jucundum dicatur, (quemadmodum עת דורר *tempus jucundum*) commode id a Propheeta dictum putetur, qui tanta saltem ornatus esse debuit modestia, ut tale quid de se non pronunciaret ipse. Omittamus ergo has conjecturas & דורר cum דיר plane synonymum esse habeamus. Cum vero valde adhuc discrepent Interpretes in iplo sensu & constructione hujus versiculi, breviter indicare juvat, quid potissimum hac de re sit statuendum. Atque neminem negaturum putamus, perperam hæc distinctionem versus factam esse. Etenim prius hemistichium continet Poetæ ipsum velut ingressum ad carmen s. fabulam, posterius vero hem. incipit ab ipsa fabula. Sic enim poeta.

אשורה נח לדירי

שירת דירי לברמו

Canam de dilecto (amico) meo; Carmen (s. fabula) de amico meo & ejus vinea. vel, Amicus meus de vinea sua. Quis autem sit ille amicus, optime Grotius explicat ex v. sq. 7. In honorem Dei quem maxime diligo, cantabo. vers. 3. Infertur a Poeta, amicus ejus de vinea sua falsos adeo proferente fructus, conquerens, civesque Hierosolymitanos alloquens. אשור וושב ירושלים est in Singul. num. quemadmodum etiam אשור יורה; construuntur vero ambo hæc subjecta cum שפמו in plur. num. permitte id Lingvæ usu, quem quoque Alexandr. & Vulg. Int.

Int. optime perspexisse habendi sunt, quamvis in Plur. numero vocab. ויש explicuerunt. Est proinde nulla justa causa textualem mutandi syntaxin, inprimis cum ויש & ויש apprime congruant invicem numero, & MSS. cod. plerique, exceptis tribus apud Kennicottum, singularem præbeant numerum. In versione vero aliter hæc nomina explicare non licet, quam in Plurali: *cives Hierosolymitani & Judææ incole* (Dathe). Simili quoque censura perstringere fas est conamen Criticorum in v. 6. e LXX. Syr. & Vulg. supplendi pronomen כו post vocab. שמי. Cum enim ipse sensus hoc non requirat additamentum, nec si vel maxime requireret, idem tamen non suppressum commode teneri posset, infirmam hanc mitimus conjecturam.

vers. 9. Mirum est, quantum semet torserint multi in elliptica enodanda locutione textus: באזני יהוה צבאות, quæ tamen si ad Poetarum leges exigatur, nihil habet quod tantopere vexet. Duplicem vero explicationem rimabimur. Alii lectionem vulgarem deserunt, alii non. Illi quidem auctoritate Alex. Interpretis innixi, apud quem leguntur: *αυξηση γαρ εις τα αυτα αυξηση σαβασμδ ταυτα*, integrum addere vocabulum בגלה gestiunt. Quod quam frustra factum sit, dudum probavit Cel. Koppe, tuto admodum evincens, Alexandrinum Int. non aliter legisse quam textus hodiernus habet, quamquam in translatione sua, ellipticam locutionem sic explicuerit. Ipse autem Cel. Köppe una cum Doederl. & ex veteribus Hieronym. Coccei. Vitringa, textui faventibus, ad ipsum Prophetam referunt voc. באזני *in auribus meis*, quasi hic Div. vates innueret, omnia quæ sequuntur in carmine, a Jehova sibi revelata esse; vel, ut Hieron. habet: verba quæ locutus est Dominus, adhuc in auribus ejus resonare. Verum

rum enimvero male hoc & admodum dilute. Quid enim obstat quo minus per Ellipsin putetur, Deum ipsum inferri a Poeta, hunc in modum loquens: *Ad aures meas* hoc scil. pertigit; vel ut Cel. Dath. *non me latent hæc omnia*, inquit Jehova. Apud Latinos enim Poetas nihil est frequentius quam omittere verba: *ait inquit*. cfr. dicta ad *Cap. II. v.* Sic omnino nec necessarium erit vulgarem sollicitare lectionem מתי, neque hoc ad aliud subjectum, referre quam ad Jehovam.

Verf. 13:us quemadmodum in impressis & punctatis cod. exstat, haud quidem multo alieniorem ab eo, quem Ver. Int. dant, sensum præbet, a veritate tamen primæva aliquantum deflexisse videtur. Latet omnis difficultas in forma מתי; quam Masorethæ & post ipsos plerique Commentatorum a מתי *homines* deduxerunt, quod vocabulum perinde ac כן sæpe adhiberi solet ad formanda adjectiva. Quo pacto מתי רעב nihil aliud signaret quam *famelicum*, totaque interpretatio versus, sic constitueretur: Propterea populus meus migrabit imprudens, & nobiliores erunt famelici, plebsque præ siti arida (a). Cum autem paulo attentius nexum omnium in hoc versu membrorum consideramus, vix ullo modo vulgaris defendi potest punctatio. Nisi enim מתי putetur descendere a verbo כרת, non suppetet in medio verf. membro כרוך מתי רעב aliquod verbum quod respondebit verbis גלה & צרה in 1. & 3 membro conspicuis, proptereaque parallelismus poeticus aliquantum claudicabit. Quod, licet tolerari alio casu possit, nec vitio Scripioris vertendum erit,


(a) Absurde prorsus emphasin Vitringa quærit in Masor. scriptio-
ne quasi *gloria ejus nobiles fame*

tantopere sit, tanto tamen minus heic pronunciari poterit, quanto faciliori via nosmet ex omni difficultate expedire possimus, si jubente hebraicæ poëseos mechanismo levissimam mutationem formæ יהיב faciamus, radicemque יהב habeamus. Ita quidem unanimi fere consensu Antiqui Interpretes hunc explicuerunt locum. Alex. *σλητος ενενηθη νεκρων δια λιμον.* Vulg. *nobiles ejus interierunt fame.* Chald. *ܣܠܝܬܘܢ ܢܝܗܘܘܢ ܢܝܗܘܘܢ ܕܝܘܡܝܢܘܢ.* Syr. quoque *ܣܠܝܬܘܢܝܢ*, qui omnes Int. utpote nullo impediti Masoretharum freno, sensum quoque dare potuerunt & veritati & facundiaë poëticæ convenientiorem, quam Rabbinorum quidam docti. Quamquam enim his domesticis Hebrææ lingvæ interpretibus, primas merito adjudicemus in textu antiquo conservando partes, præsertim cum ceter. Ant. translatorum discrepantiæ in censum veniant, tamen minime ultra critices regulas eorum extendimus jura, probe consciï, eos propter longam illam annorum seriem defectumque instrumentorum Criticorum non potuisse ubique veritatem hebraici textus assequi & servare. Est ergo justa causa cur dextras jungamus & Antiquis & Recent. tantum non omnibus Interpretibus, (a) יהיב cum Tzere in Particip. *יהיב* legentibus, hoc sensu: *nobiles peribunt fame.* Quo pacto omnia apprime sibi invicem respondebunt vocabula in singulis membris. - Superest, ut in vocabulis *יהיב* moneamus, minime insistendum esse vestigiis Græci Int. qui *יהיב* retulit ad suppressum vocab. *יהיב* hoc modo: *δια το μη ειδεσθαι τον κυριον.* Est vero locutio *יהיב* frequentissima ad indicandum subitaneum & inopinatum eventum.

I Verf.

(a) Cel. Koppe & Lowth non quidem in notis hanc varietatem indicaverunt sed in versione expresserunt. *Seinen calen sterben hungers.* Michaëlis, Dathe, Dæderlein similiter,

Verf. 17. Difficilis adeo nonnullis visus est hic versus propter fluctuantia Veterum Int. studia, ut hiatum in textu vulgari adesse, integramque pericopam dilapsam pronuntiaret Cel. Koppe. Verum enimvero, si absque conjiciendi cupidine ac præconceptis opinionibus hic versus examinetur, nihil ab una parte in textuali scriptione reperiemus, quod in elegantiam dictionis impingat, ab altera vero parte facile pandemus originem totius dissensus inter Antiquos. Quum enim LXX locum hunc dederint ita translatum, καὶ βοσκηθήσονται οἱ διεπασμένοι ὡς ταυροί, error eorum aliunde forte explicari nequit, quam ex hypothesi sæpius antea allata. Nam pro Hebræo כרבים quod rite valet: *pro more suo, ordine*, videntur cogitasse, non quidem ut Koppe existimat כפרים, sed כארים *sicut tauri*; Græcis enim depictum litteris ΚΕΔΑΒΕΡΕΜ, facile potuit ab hallucinante interprete permutari cum ΚΕΑΒΕΡΕΜ. Neque quemquam sollicitabit, ἢ Hebr. exprimi græco Ε, cum in ipsa hebræa lingua & apud Rabbinos ἢ & .. sæpe inter se permutentur. Pro כבשים (cum *Sin*) LXX cogitarunt sine dubio כבשים (cum *Schin*) a rad. כבש *subigere*. Atque cum in seq. hemist. transtulerint: καὶ τὰς ἐρήμους τῶν ἀπειθήμενων ἀγέρας φάγονται, non utique hebræum גרים ante oculos habuerunt, sed gr. KARIM quod vel כרים vel גרים designare potest; nam in confesso est, Hebr. ג ab antiquis fuisse expressum jam littera ר jam Κ, ut ab exemplis a Tychsenio & Graffman citatis abunde patet. Quapropter non omnino calculos nostros meretur critica nonnullorum hypothesis ab Alexandrino Int. hausta, ה. l. pro גרים legendum esse sciscens. Si enim aliqua mutatio probabilis foret, Durelli & Seckeri quam Dœderlein adoptavit, hypothesis, גרים *capras præferens*,



ho moeste haem bekeble efar. matitia sua, veluti funibus
trahere ad se felerat. Hanc imaginem exprimit Bon. d. ucler
Fofarum sum pife e nauis, qui Lunillas, utuntur ad trans-
portanda paxib. Ego eam ^{ucler} Kimanensem Prophetam hanc nung
e nauis imag. hanc accepisse, quans certius, rem nauicam
plane Iudais fuisse ignotam, ideoq. ipsi Prophetas,
nullum enim commercium mari exercebant, sed tantum
rei pecuaria et agricultura operam nauabant. Antaro-
rim potius hanc similitudinem assuntam esse a captiuis,
quos Lunilla ad stringere solebant in Nilotribus, qui paginam
funibus ad se trahere solent. Et ut Iudaei multum piscari
solerent, et inde in loco fenesaret, et inde patet, quod di-
scipuli Salvatoris plerique fuerunt piscatores ante, quam
uocati fuerint. Et ucler hanc hanc ucler. Et ut illi
paginam ad se trahunt eo sine, ut pisces capiant ita etiam
Iudaei ad se felerat trahunt, s. ucler ucler, ut uoluptatem
inde percipiant.

ferens, admitteretur. Sed quoque hæc destituta est omni testimonio & cod. MSC. & Vet. interpr. prætereaque valde superflua est in evidentissimo contextu: *Pascuntur agni pro more suo, & deserta pingvia loca peregrini absument.* Vastatio scilicet innuitur. Absurde vero Vitringa cum ceteris, sensum mysticum in vocab. *agni & advenæ* venatur, quasi alludatur, ad *Ecclesiam Christianam a Judæis (discipulis Christi) & Gentibus olim constituentem.*

Verf. 18. הווי משכי העון כחבלי שווא, gravis est comminatio prophetica in impios directa homines, qui *malitia sua, veluti funibus trabunt ad se scelera* h. e. absque tropo: qui scelera perpetrant stulte ac maligne. Non prorsus absimili tropo Latini dicunt *devincire, alligare se sceleri*. Claram omnino & poeticæ dictioni convenientem imaginem, e nautis qui funibus utuntur ad transportanda quævis sumtam, nemo facile erit quin intelligat, immo quoque huic loco propriam judicet. Tantum vero efficit Antiqui Græci auctoritas apud Rev. Lowthium, ut pro ח substituentium vellet כ similitudinis ante חבלי. Atqui græcus non aliter legit quam in textu est, licet particulam similit. in sensu suppleverit: *ὡς σχοινία*, nec aliam imaginem cogitavit quam nos, nisi quod pro שווא babeat *μακρὰ*. Utrum hæc varietas illusioni cuidam scriptionis, an ingenio translatoris adscribenda sit, difficile est dictu; minime autem occasionem dabit justam, textuale שווא cum conjecturali שררע commutandi. Vulg. enim & Chald. cum textu conspirant. Nec est, quod cum Rev. Lesh & Koppe, adjudicemus vocabulo שווא notionem *longitudinis*, cum nec in Heb. nec ullis aliis in Dialectis eam teneat, quin potius constanter mali ideam *te-*
cum

cum ferat. Cfr. dicta ad *Cap. I. 15.* Sequitur ergo, non opus esse ut ad aliam quandam Metaphoram, faciliorem scilicet confugiamus, quasi Propheta indigitasset h. l. eos, qui funes contorquere solent. Nam ut ea huc revoce-
 mus quæ de veritate lectionis & notionis רַע נַפְשׁ dixi-
 mus, obstat quoque ipsa syntaxis verbi מִן quod nulli-
 bi de funibus contortis usurpatur, sed *trabere* valet. cfr. Pl. X: 9. $\text{בַּמִּשְׁכָּן בְּרוּשָׁיו}$. - - Quænam de cetero diffi-
 cultas Dathianam premat interpretationem verborum רַע נַפְשׁ
 & מִן metonymice de ipsis pœnis & judiciis Divinis, non est quod multis inquiramus (a). Particula enim מִן eam vim habet ut ipsam pœnam exprimat, quam quoque apertius adhuc exclamat Propheta in sequ. 19—24 vers. ubi longum attexit catalogum scelerum. Alia aliorum omittimus interpretamenta. cfr. vero *Vitringa Coat.*

Vers. 23. Tanto minus circa h. l. valebit inanis quorundam conjectura, מִן in Singul. legendi (quia quippe ita in Alexandr. versione compareat) quanto sit certius מִן in Plur. apud Chald. inveniri.

Vers. 24. Adest hoc l. varietas non tam lectionis quam explicationis in vocab. קָד , quod jam dudum veteres Int. & inter hos Alex. ad radicem קָד retulerunt. Commodissime ergo heic pulveris notis teneatur. cfr. *Cap. III. 24.*

Vers. 29. 30. In exprimenda tota imagine poetica, quam textus nobis exhibet, deserit nos plane Græcus interpres; Etenim confudisse videtur vocabulum רַע נַפְשׁ cum

(a) Optime Dooderl. adstringunt sese scelerum vinculis, & Sciler Theol. Chrit. Betracht. P. II. p. 175. Sie ziehen Lynde stets nach sich. Sie sind wie mit seulen und stricken an sie gebunden.

verbo נשׁו vel נשׁי, quia vertit: παρρησιάζων ὡς σκυμνοὶ λεον-
 τος. Quo in manifesto errore non est quod diutius mo-
 remur refellendo. Cum autem in eodem hoc vocali.
 נשׁו adnotata sit a Masorethis ipsis levis diversitas codi-
 cum antiquiorum, נשׁו in verbali forma legere jubeu-
 tium, rimemur necesse est eam aliquantisper. Et sane
 haud diffidendum est, posse lectionem hanc *Keri* a Bux-
 torfio jam adoptatam in Concordantiis præsertim si eliso
 majori distinctionis signo Athnach, verbalis hæc forma
 referatur ad nomen נשׁו, pro usu lingvæ ad majorem
 indicandam vim adhiberi, ut e g. *Jer XXX. 30*; verum enim-
 vero, si paulo attentius mechanismus poëticus confide-
 retur, vulgaris lectio *Chetib*, quam quoque omnes te-
 nent Interpretes, facillima censetur. Binis enim hunc
 versiculum consistere, aut trinis strophis, ipse adspectus
 indicat; unaquæque autem stropha bimembris est, ubi
 accurata & exacta regnat verborum similitudo. En ergo,
 quam optime nomina נשׁו & נשׁו in utroque mem-
 bro sibi respondeant! observante nimirum Ill. Michaelis in
 not. ad Cap. III. v. 1. & ad h. l. Or. Bibl. P. XIV, syn-
 taxis nominum diversi generis masc. & fem., magnam
 secum fert emphasin. Simili quoque modo vocabula
 נשׁו *Leonina* cui נשׁו tribuitur, & נשׁו *Leones juven-*
ci (quibus נשׁו virilis & fortior rugitus competit) opti-
 me invicem respondere, patet. Quin adhuc brevissimis
 indicemus verbis, quo tendant omnes hujus & anteced.
 vers. imagines, temperare nobis haud possumus. Fert i-
 gitur secum, rota series v. 25 — sin cap. gravem commina-
 tionem pœnarum per peregrinam quandam gentem
 Judaico refractario populo a summo Iehova infligenda-
 rum. "Iova scilicet vexillum altis in montibus erigit &
 velut sibilo advocat gentem e longinquo. Cito ea jam

adeſt, vigilantiffima, alacerrima, balteis calceisque in-
 fruſta, inſtar Leonis vero ipſa rugiens ac prædam agens
 in populo Judaico; denſiſſimæ nubis mox ingruunt
 tenebræ, quibus ipſum cœlum (luciferum) in ſpatiis ſuis
 obſcuratur." Ultima vocabula V. 30:ti ita quidem dedimus, ut
 ſponte fluere ex ipſo contextu & lingvæ analogiâ videbantur.
 Eſt autem in veteribus pariter ac hodiernis Philologis ſumma
 diſſenſio. Primo quidem diluenda a nobis erit conjectura
 nonnullorum Criticorum, in ſupplendo textu hebraico
 minus diligentium, fruſtraque ad Alex. verſionem provo-
 cantium, quaſi inde lacuna textualis expleri poſſet (a).
 Cum vero probatiſſimæ Editiones nominatæ verſionis,
 Vaticana & Alexandrina, nihil præferant additamenti, lu-
 culenter ſatis evincitur, totum quantum ſpurium eſſe
 quod in Ald. & Complut. editione ſuperadditum ſit: (και
 εμβλεψονται) εις τον θρανον αυω και κατω (εις την γην), a-
 deoque textum immotum manere propter ipſius Alex.
 Int. teſtimonium. In vocabulo porro הַרְגָּה explicando,
 multum ſane non lucis ab Antiquis arceſſi poteſt. Græ-
 cus tranſculit: εν απορια αυτων, male & ſine ſenſu. Syr.
 & Vulg. caliginem habent, quaſi הַרְגָּה fuerit lectum, aut
 verbum הַרְגָּה in notione nubis ſumtum. Cum hiſ, pleri-
 que interpretes Jarchius, Grotius, Cocc. Michaëlis, Rec.
 Sv. cet. faciunt, vulgo provocantes ad Lingvæ Syr. u-
 ſum. Sed ſi vel maxime eam ſignificationem Syr. הַרְגָּה
 tenere poſſit, (quod tamen, valde dubitamus, quia con-
 funduntur a Lexicographis הַרְגָּה & הַרְגָּה diverſa ponitis
 verba) minime tamen ad hunc noſtrum locum quadra-
 bit, ubi aff. ה non ad vocem קָרָא longius præcedentem,
 ſed

(a) Cfr. Reb. Lowth. Comment.


sed proximam נרר referendum sit, quamvis diversitas generis tum adesset. Difficultatis omnis tollendæ causa, Ill. Michaëlis & Koppe sejunxerunt בַּעֲרָה יוּ in *densis nebulis Jebovæ*. Sed quoque hoc lubricum est & plane superfluum, cum in vocab. עֲרָה licet *απαξ λεγομενω* restat, opem e Dial. Arab. arcessere, prouti dudum post Schultensium fecit acutissimus Doederlein, qui habet: *conclavia, intimi recessus*. Altius ergo originem atque familiam vocabuli עֲרָה indagasse juvabit. Nomen Hebr. & Ar. עֲרָה, *cervix, jugulum* certe tanquam primitivum erit censendum, unde ceteræ omnes notiones sponte sua, per justam metaphoram ac metonymiam derivatæ sunt. Hinc verbum ipsum apud Hebr. & Arabes *decervicare, jugulare* notat. Et quia cervix in Animalibus ea est pars corporis quæ maxime aperta sit, factum est, ut tritissimo usu apud Arabes hæc vox tereretur in *docendi, sciendi, cognoscendi* significatu. cfr. *Meminski Thesaur. & Golii Lex.* Hinc ergo עֲרָה quod a Cocc. male cum Arab. *Garafaton, nubes, calum* confertur, explicari poterit de *spatiis patentibus quibuscunque*, atque ad נרר commodè referri. Quemadmodum igitur Syet. dicitur *hjusets rymder*, ita quoque Latine reddatur עֲרָה *spatia cæli*.

§. XVI.

Cap. VI. v. 1. Prima hujus vers. verba, בַּשָּׁנָה in-
 scriptionem s. Titulum magnificæ fictionis Propheticæ
 exhibent, quo scilicet docetur, hoc carmen ad annum
 Usiæ Regis ultimum esse referendum. Quocirca plane
 nihil impedit diversitas quorundam Criticorum, qui ante
 בַּשָּׁנָה addere cupiunt וְהָיָה, quia nimirum auctoritas A-
 lex.

lex. Interpretis id jubeat. Verum, ut jam nonnisi tanga-
mus tritum illum canonem: unius Translatoris vix tuto
confidi posse varietati, superflua quoque habebitur tota
conjectura, si ipsum contextum rite rimemur. Manife-
stum enim est, allata vocabula ab ipso initio carminis
sollicite distingvenda esse, quemadmodum in Psalmis Da-
vidicis sapissime valet. Incipit nempe carmen a vocab.
וְאֵינִי, in quo præfixum illud וְ nequaquam censeri pot-
est copulativum heic esse, sed aut, per pleonasmum Poë-
ticum, aut instar exclamationis particulæ explicari debet.
Cfr. Pl. II. 6. וְאֵינִי *profecto ego* &c.

Verf. 8. Sistitur heic ipse Jehova intonans his verbis
וְאֵינִי מִיָּדְךָ וְיָדְךָ מִיָּדַי *quem mittam* & *quis mihi prodi-*
bit. Quæ verba nos considerabimus tam ea ex parte
qua Critici nectuntur nodi & difficultates, quam qua ve-
ra lectio ac interpretatio defendi debeat. Nonnulli ni-
mirum, ut Antiquos Int. in vocab. וְאֵינִי nonnihil dissidere
animadverterunt, mox quoque lectionem textus sus-
pectam esse dignamque correctione censuerunt. Vertit du-
dum Græcus: *προς λαον τετον*, quasi pro וְאֵינִי legisset: לֵךְ
vel עֵד. Atqui evidens est satis, illud eum fuisse am-
bigua quadam scriptione. In Hebr. quidem lingua, וְאֵינִי &
וְאֵינִי facile permutari posse, docent nos Cappellus cet. At
vero cum וְאֵינִי confundi posse וְאֵינִי, vix statuatur. Quin
ergo secundum antea allatam hypothefin, varietas omnis
in Alex. Int. dijudicari debeat, haud dubitandum est.
Vocab. enim וְאֵינִי & וְאֵינִי si græce depingantur ΛΑΜ &
ΛΑΑΜ, non adeo distingvi a se invicem, possunt. Nec
est quod cum plerisque (Cappell. Michaelis, Eichhorn,
Hezel, cet.) dicamus hanc varietatem ortam esse ex er-
rore quodam & fallacia auditus (*missbõren*);



Præclarissime Dom. Mag. Paul. Doctus nec non Aman. Bibl. Merit.
Amice honorat.

Jam nunc habes, de quo mihi gratulari, talis enim amari-
no hac occasione fuit, qualem futurum speraverim;
tot enim tantasq. favoris, humanitatis nec non amicitia
erga me documenta edidisti, ut, quod si plane scirem,
sua ac ne via quidem animi ingrati culpam effuge-
re, nossem. Gratias itaq. tibi ago habeoq. maximas.
In laudibus tuis prædicandis nihil est, quod divi-
tius versarem, omnes enim eruditionem ac doctri-
nam tuam sibi habent satis suæq. cognitam, et
nam est, qui eam in dulcium meritò vocare ve-
lit, tanto minus, quanto certius est, se jam non-
nullum ejus præclara edidisse specimen. Quid
itaq. sit æquius, quid justius, quam ut tibi ipsa
contingant felicissima? Illud ad me adlinet, nihil
magis in votis habeo, quam ut, ad quam modestia tua
tendere te permittit, feliciter contingas metam.
vale.

Præst. Dom. Respondens. Am. Opt.

Colloquio hocce nostro novum omnino dedisti docu-
mentum pristina amicitia, tanta enim facilitate, tan-
tasq. humanitati quod in medium protuli argumenta
et assumpsi et luculenter refutasti, ut habeam de quo
me gloriari, utq. non possim non gratias tibi agere
maximas. Laudes tuas celebrare vix non esse video-
tum, omnes enim, qui hac occasione adfuerunt, in-
geniū et acuminis tui, quod elucere curaveris lumen,
et viderunt et certe quoq. cognoverunt. Gratulari itaq.
tibi doctes animi felicissimas, Gratulari documentam
earum editam publicam. Perge iten quoq. coepisti,
nec prius cessa, quam culmen Parnassi attingeris, ibiq.
laurea decorabitur fueris. Nec animus, nec vires tibi
desunt, fortunam, si talis tibi contigerit, qualem ea-
opto, haberes quoq. prosperissimam. Quod reliquum est,
nihil magis spero confidam, quam ut eadem me post-
hac ad huc usq. confremis, amplectaris amicitia, quod
si facis, erit mihi gratissimum. vale d. O. iterum attingere.